

~~P. II, 24.~~ QK. I, 238

II m
3037



No. 147.

356.

102.

C

R

D

E



no. 85.

VII.

ORATIO
CONTINENS HISTO-
RIAM HENRICI LEONIS
Ducis Saxoniae & Bavariae,
Recitata Rostochij

A
DAVIDE CHYTRAEO



VVITTEBERGAE
EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.

ANNO M. D. LV.



nu
pa
sti
ret
ian
fid
stro
tur
fia
ste
rea
bu
à L
gel

DE HENRI

COLEONE DVCE

SAXONIÆ ET BA-

VARIÆ.



AROLVS Magnus in Priuilegio, quod Ecclesiæ Bremensi à se constitutæ anno Christi 788 dedit, prefatur, se post diuturnum

bellum cum gente Saxonica pacem fecisse, hac conditione, ut pristinam libertatem & immunitatem retineret integram, sed tamen uictoriam Deo gratias ageret, & armis ac fide Domino & Redemptori nostro Iesu Christo seruiret. Ac latè tunc in reliquam Saxoniam & Frisiam Vuillehadus Episcopus, & postea in Daniam & alias regiones boreales Ansgarius ex Gallia ad Hamburgensis Ecclesiæ gubernationem à Ludouico Pio Imp: adductus, Euangelion propagarunt. A ij Tot

Tot iam annos uidelicet fe-
rē octingētos Incl̄yta Gens Saxoni-
ca non modo auitum fortitudinis,
constantiaē, & libertatis decus, sed
etiam ueræ de Deo doctrinaē & pio-
rum studiorū possessionem tuetur.
Quare & Deo gratum officium est,
& ad pietatem ac gratitudinem pa-
triaē debitam pertinet, historias Sa-
xonicas cognoscere, & maiorum ex-
emplo nos & nostros posteros ad ue-
ram uirtutem excitare. Etsi enim
peregrinaē aliarum gentium, ut Gre-
corum historiaē, ab eloquentis, & sa-
pientis, scriptoribus illustrataē, à
multis auidius expetuntur, quàm pa-
triaē; tamen qui in historijs non tam
uerborum lenocinia, quàm uirtu-
tum exempla iudicabunt requiren-
da esse, profecto utilius in Germani-
cis ac præcipuè Saxonis rebus il-
lustrandis ac recitandis operam su-
ment, quàm in cæteris. Habent Gre-
corum historiaē plus astutiaē, & gre-
cæ leuitatis, parum ueræ ac germa-
næ uirtutis, constantiaē, grauitatis,
can-

candoris, Quorum laudum ornamento
mentis haud dubiè omnibus alijs gē-
tibus nostra patria antecellit. Idēq;
proximis annis illustri exemplo in
ueræ religionis puritate & à maioribus
accepta libertate tuenda ostēdit.

Deinde cū Ecclesia uerior patria
sit, q̄ id solū, quod nascentes excepit,
præcipuè pijs mentibus pergratum
est scire, quando & à quibus ueram
de Deo doctrinam acceperimus, per
quos uiros in hac mūdi parte primū
sparsa & ad nos transmissa sit. Inprimis
huic ditioni Megalburgensi
iucundissima debet esse recordatio
Henrici Leonis Saxoniae Ducis, de
quo orationē instituimus. Nam ipsius
pietate & fortitudine hæc ora lit-
toris Baltici, & Principum Megal-
burgensium Maiores, ad uerā Euāge-
lij doctrinā, quæ sola in portū eterne
salutis homines deducit, cōuersi sūt.

Imitantur huius Henrici Leonis
exemplum posterī, Illustris. Princi-
pes Luneburgenses, qui duodecimo
gradu in familia eum sequuntur, &

A iij hac

hac nostra ætate & piam Euangelij
doctrinam constanter amplectentes,
& studia literarum liberaliter fouen-
tes, ueri Ecclesiæ Dei nutritij sunt.
Quibus cum singuli suam reueren-
tiam & gratitudinem omni officio
declarare debeant, quoniam nobis æ-
lia occasio non datur, pietatem ipso-
rū & maiorū, à quibus uitā & uirtus
tū exempla acceperunt, celebremus.

Hiscæ causis præcipuè adducor,
ut, cum præceptorum nostrorum uo-
luntas, & huius priuatæ scholæ con-
suetudo nunc mihi dicendi necessi-
tatem imponat, HISTORIAM HEN-
RICI LEONIS Saxonix & Bauariæ
Ducis, ex aliquot probatis scriptoris
bus rerum Germanicarum breuiter
collectam, uelim recitare.

Pater Henrici Leonis fuit Henricus
Dux Bauariæ natus paterna ori-
gine ex celeberrimo genere Guelfo-
rum Ducū Bauariæ, et matre VVul-
philde filia laudatiss. principis Ma-
gni, postremi ex prima familia ducū
Luneburgensium, orta ab Herman-
no,

no, quem Otto I. propter uirtutem,
industriam, et fidem eximiam euexer
rat.

Patruus Henrici Leonis fuit Guel
fus Dux Bauariæ, qui in obsidione
Vuinsbergensi, cum fame coactus
esset dedere se irato hosti Conrado
III. Imperatori, coniugis suæ hones
tissimo & memorabili consilio libe
ratus est. Cum enim Imperator Con
radus petentibus mulieribus conces
sisset, ut inuiolata discederent cum
rebus, quas suis humeris gestare pos
sent, Guelfi uxor & cæteræ nobiles
matronæ suos uiros & filios aspor
tant. Qua pietate Conradus Impe
ratoris pœnam Guelfo condonauit
& pacem atq; amicitiam cū eo fecit.

Matrem habuit Gertrudem filia
am pijs, sapientis, & fortis. Imperato
ris Lotharij Saxonis, qui una cum fi
lia dotis nomine suo genero Henri
co, Leonis patri, tradidit Brunswi
gum, comitatum Northeimēsem, et
omnem ad Visurgim ditionem, quā
ipse cū cōiuge Rixa à suo focero Hē
rico crasso acceperat. A iiij Ab

Ab hisce parentibus cum ortus es-
set Henricus Leo, non solum uirtu-
tutis semina & indolem generosam
ac excitatam, sed etiam fortunæ bo-
na amplissima accepit. Nam in histo-
rijs nullus Princeps priuatus legi-
tur potentior fuisse & ampliorem
Germaniæ partem plurimos annos
tenuisse. Paruit enim ipsius imperio
tota Bauaria et ferè tota regio inclusa
ab ortu Albi fluuiò, ab occasu Rhe-
no, à meridie montibus Harcinijs, à
Septentrione mari Balthico. Respon-
dit autem potentia ac uirtuti ipsius
fortuna. Felicissimo enim euentu ple-
raq; bella gessit, & maximæ res geste
Friderici Barbarossæ huius Henrici
copijs & auxilijs confectæ sunt.

Primam expeditionem uix natos
annos 18. propagandæ religionis Chri-
stianæ causa in uicinos Vādalos sus-
cepit. Cum enim ex Burgundia in
conuentum principum Francofordi-
am ueniens D. Bernhardus uir fan-
ctus & miraculorum testimonijs cla-
rus, persuasisset Imp. Conradum &
cæteros,

ceteros, ut exercitum ad eripiendam
Saracenis Ierosolymam et Christia-
næ religionis professionem propa-
gandam ducerent, ad eam militiam
infinita hominum multitudo se spon-
tè obtulit, cuius pars Adalberone
Archiepiscopo Bremensi & Henric-
co Leone Ducibus aduersus Vanda-
los, qui hanc oram Balthici littoris,
in qua nos nunc uiuimus, tenebant,
& pertinacissimè nomen Christi ode-
rant, ac persequebantur, profecta est,
& cincta obsidione urbe Demin coë-
git Vandalos facta deditioe abiecto
idolorū cultu fidē Christi amplecti.

Hęc principia fuerūt militiæ Hen-
rici faustissima & laude dignissima.
Ideo enim gerenda sunt bella, ut ue-
ra Dei noticia & Inuocatio latius
spargatur, ut gloria Christi illustre-
tur, ut Ecclesia Dei defēdatur & pro-
pagetur. Hos fines intuentur David,
Constantinus, Theodosius, Carolus
Magnus, Henricus Leo & alij bella-
tores Heroici, quorum memoria no-
bis propter Dei gloriam et ipsorum

A v pietas

pietatem ac uirtutem, ac istarum Re-
gionum, in quibus uiuimus, salutem
carissima esse debet.

Confecto hoc bello aliquot annos
cum Henrico Austriaco de auito du-
catu Bauarię contendit, donec Fride-
rici Barbarossę moderatione res cõ-
posita est. Erat aut̃ Fridericus utriq̃
cognatus. Nam Agnes filia Henrici
III. Imp. ex priori marito Conra-
dum Imp. et Fridericum patrem Bar-
barossę, ex posteriore hunc Henri-
cum Austriacum & Ottonem Frisin-
gensem Episcopum, qui in suo Chro-
nico hanc familiam accuratè descri-
psit, genuerat. Mater uero Friderici
Barbarossę Iudith Henrici Leonis
amita fuit. Quare etiamsi Austria =
cum patrum propius attingebat,
quàm Leonem Amitinum, tamen pa-
cis publicę causa Leonem prætulit,
ac Henrico Austriaco tunc ducali ti-
tulo à se ornato hortator fuit, ut du-
catum Bauarię Leoni restitueret. Ita
Imperatoris Prudentia, æquitate &
moderatione acerbissimum certamē
dires

diremptum est. Eodem tempore etiam in conuentu Herbipolensi certamen inter Albertum ursum, cui Conradus Imp. Saxoniam uiuo adhuc patre Leonis attribuerat, & hunc Leonem ita diremit, ut Ursum ditione Marchica contentum esse iuberet, Henrico autem Leoni Saxoniam à patre & auo Lothario acceptam restitueret integram, & sua autoritate eum tueretur.

Tantis Friderici beneficijs deuictus Henricus, uicissim ei gratiam cumulatè reddidit. Nā statim in Italiam tunc eum secutus est proficiscentem ad pacandas Italiae dissensiones, et coronam Romæ ab Hadriano pontifice accipiendam. Cum autem inter ipsas coronationis ceremonias Romani commota atroci seditione Vaticanum inuaderent, præcipuè defensus est Imperator Henrici Leonis uirtute, qui castra ad proximam portam forte habebat. Post biennium secundo Imperatorem cum 1000, castaphractis (ut uocant) comitatus est
ad Mez

ad Mediolanenses, qui plures Lombardiae urbes sibi contra Imperatorem adiunxerant, compescendos. Etsi autem tunc Mediolanenses coacti sunt se ad pedes Imperatoris supplices abijcere ac pacem petere, tamen paulo post instinctu Alexandri III. Pontificis in ea urbe nati, rursus multo quam antea atrocius in uicinas urbes Imperio parētes grassantur. Quare tertio Fridericus in Italiam profectus, et Henrici Leonis ac Episcoporum Moguntinensis & Coloniensis copijs adiutis cinctam aliquamdiu obsidione urbem expugnat, diruit, ac solo aequat. Postea Romam ducit exercitum, unde cum Pontifex in Galliam profugisset, sine difficili certamine urbs capta & reliqua Italia pacata est.

Redit igitur in Saxoniam Henricus, ac bellum aduersus uicinos Henetos, qui abiecta fide Christiana suos sacerdotes trucidauerant, renouat. Erant autem Domini Henetorum duo fratres Pribislaus & Vuerslaus,

laus, quorum alterum cepit, alterum
uero Pribislaum in arce Vuerlouu,
duorum miliarium ab hinc interual-
lo, ad flumen Vuarnouium eo tem-
pore sita, obsessum, imperata facere
coëgit. Qui quidem ab eo tempore,
uidelicet anno Christi 1160, & do-
ctrinam Christi amauit, didicit, firmi-
ter amplexus est, ac in his regionibus
in quibus uiuimus, ad nos usque
propagauit, & Henrico Leoni in
omnibus officijs fidem ac constantiam
bono ac graui principe et ueteris
Henetæ gentis uirtute dignam pre-
stitit. Quare uicissim Henricus per-
specta ipsius fide intimi amici loco
eum semper deinceps habuit, & pe-
riculosissimæ profectiōis Ierosoly-
mitanæ, de qua postea dicam, comi-
tem sibi adiunxit.

Ab hoc Pribislaeo Illustrissimi no-
stri Principes Megaloburgenses fa-
miliam ducunt. Quorum pietas, con-
stantia, liberalitas in fouendis doctri-
næ studijs, fortitudo in religionis pu-
ritate & communi patriæ libertate
tuenda

tuenda, ostendit eos maiorum uirtutem non solum imitari, sed etiam superare.

Cogitent autem piæ mentes, quanta sit huius summi beneficii amplitudo quod in hisce regionibus Henrici Leonis pietate sparsa & doctrina de uero Dei agnitione & inuocatione & uita æterna, in qua etiam ipsi Henrico coram cum multis alijs, de quibus eodem beneficii genere præclarè meritus est, toto pectore gratias agemus. Nam & in hac ditone collegiũ Suuerinense instituit collocato ibi uiro pio & docto Bernone Episcopo, & antea in Polaborum gente Raceburgensem Episcopatũ erexerat, & Lubecam transtulera t. Geroldum Aldeburgensem Episcopum, conditis ubiq; templis magnificentissimis, in quibus ueram Christi agnitionem docendo ad posteros propagari uolebat.

Vt autem semper excellentem uirtutem & potentiam comitatur liuor, sic Henrici quoq; pietati, uirtuti & potentia

potentiæ uicini Episcopi & Principes inuidebant. Redierat Imperator in Italiam, ut tumultus ab Alexandro Pontifice denuo excitatos sedaret. Quare existimantes commodam se occasionem absente Imp. opprimendi Henrici nactos esse, conspirarunt Episcopi Magdeburgensis, Hildesheimensis, Coloniensis, Ludouicus comes prouincialis Turingiæ, Albertus Ursus, Christianus Comes Oldeburgensis et alij. Sed omnes eorum conatus Henrici magnanimitas & uirtus retudit. Nusquam prodire in aciem, aut dimicandi potestatem facere hostes audebant, Rura quædam & oppidula Henrici subinde uastabant, donec tandem Imp. Fridericus auctoritate & mandato quiescere coacti sunt.

Aliquanto post uidelicet Anno Christi 1172. peregrinationem in Terram sanctam instituit, ut loca, in quibus se toties Ecclesiæ Deus patefecit, & in quibus singuli in quotidiana inuocatione se sistere debent,
coram

coram oculis contemplaretur.

Omissa autem reliquæ profectio-
nis narratione,unicam historiam re-
citabo, quam studiosis gratam fore
spero. Ducebat secum in comitatu
Henricus Episcopum Vuormatiens-
sem,& Henricum, qui Brunsvuige
ad S.Aegidium Abbas erat, uirum
doctum & disertum. Cum autem
Constantinopoli ab Imperatore Ori-
entis magnificè excepti & mensæ eis-
dem adhibiti essent, fortè mota est a
Vuormatiēse Episcopo uetus Que-
stio de Processione Spiritus sancti,
de qua Græcæ & Latīnæ Ecclesiæ
dissentunt. Proponebantur a Græ-
cis multa Scripturæ testimonia,plus
ra ex ipsorum doctoribus ueteribus,
quæ eō accommodabant, Spiritum
sanctum ex solo patre procedere, &
per Filium tanquam per canalem
mitti. Diu sedit Henricus Abbas
Brunsvuicensis tacens, & modestè
ac attentè, differentes audiens. Tan-
dem cum ad ipsum dicendi ordo per-
uenit, graui ac diserta oratione ostē-
dit to-

dit totam illam controuersiam tan-
 tum λογομαχίαν esse, & allegans tes-
 timonia ueterum scriptorum, qui
 in Ecclesia Græca præcipuè fue-
 runt, ac nominatim Chrysofomi,
 Basilij, Nazianzeni & Cyrilli, de-
 monstrauit eos non solum δημοσίαν
 tribus personis tribuere, sed etiam
 perspicuè affirmare, Spiritum sanc-
 ctum esse ex essentia æterni patris &
 filij, ut Basilius expressè inquit, Spi-
 ritum sanctum esse μετ᾽οσίαν ἢ ὅτι τῷ,
 id est, habere essentiam à Filio com-
 municatam. Id latinos dicere Spiri-
 tum sanctum à Filio procedere. Hęc
 cum eruditè, placidè, & prolixè ex-
 plicaret Abbas, omnium conuiuia-
 rum uultus atq; ora in eum conuersa
 sunt. Eratq; & Henrico Leoni ho-
 norificum, quod hominem Saxo-
 nem eruditione & facundia cum
 eruditissimæ & ingeniosissimæ gen-
 tis græcæ præstantissimis uiris con-
 ferendum, in comitatu secum habe-
 bat, & ipsi Henrico Abbati id do-

B cōtinuæ

Erinæ & eloquentiæ specimen non solum tunc admirationem apud homines exteros in aula Imperatoris Constantinopolitani pariebat, sed etiam Leonis erga se beneuolentiam augebat, quam postea in patriam reuersus hoc illustri testimonio declarauit, quòd eum ad gubernationem Ecclesiæ Lubecensis, in locum Conradi Episcopi, qui in eadem profectioe Tyri mortuus fuerat, euexit.

Digna est hæc historia, quam diligenter studiosi meminerint. Apparet enim tunc quoq̃, cum ne quidem in ipsa Italia literæ flourerent, tamen in hisce locis doctrinarum studia in Monasterijs, quæ umbram aliquam scholarum adhuc retinebant, non prorsus extincta fuisse. Quare exuscitemur hoc exemplo, ut nunc quoq̃ in tanta luce literarum, ueræ doctrinæ studia maiori cura suscipiamus, eorumquè possessionem retineamus. Cogitemus etiam quantum

quantum ornamenti & ueræ digni-
tatis ipsi Henrico Abbati ex doctri-
næ studijs accesserit non solum adsi-
denti tunc mensæ summi Imperato-
ris, sed & toto uitæ tempore, & apud
omnem posteritatem, & nos quoq̃,
qui hæc ipsius decora nunc admira-
ntes celebramus. Bonas certè &
generosas mentes, non dubium est,
tantis & tam diuturnis ornamentis,
quæ sola doctrinæ laude parari possunt,
ad amorem studiorum & discendi
diligentiam excitari. Qui uero talibus
exemplis non mouentur, uerè, ut apud
Senecam dicitur, Leues sunt, nec illos
stimulat gloriæ decus.

Sed ad historiam redeo. Renouauerat
in Italia bellum Alexander Pontifex
concitatis Mediolanensibus & Venetis
præcipuè, aduersus Fridericum iam à se
excommunicatum. Intelligens igitur
Fridericus, quanta moles belli rursus
imminebat

B ij ret,

ret, summa contentione ab Henrico Leone, cuius auxilio antea ferè semper uicerat, petit, ut denuo secum in Italiam redeat. Henricus, quadam religionis opinione, quia à Pontifice excommunicatum iuuare nefas putabat, eum deseruit. Quare ardentibus indignationum flammis aduersus Henricum concipiens Imperator, tunc quidem dissimulata ira, cum quantis potest copijs in Longobardiam redit, ubi cum filius alter, à Veneta & Pontificia classe interceptus esset, alter in acie ad Bononiam cecidisset, Fridericus absolutionem à pontifice Venetijs petijt, & pacem cum eo fecit.

Interea autem in Germania Episcopi Ulricus Halberstadensis, & Philippus Coloniensis animaduertentes Henricum in Imp. indignationem incurrisse, bellum ipsi inferunt, ac tunc primum Episcopus Coloniensis Vuestphaliam inuasit & par-

& partem Ducibus Saxoniae uiad-
emptam, occupauit. Henricus Im-
peratori ex Italia reuerso Spiram oc-
currit, ac de uiolentia Episcoporum
conqueritur. Imperator dissimu-
lata offensione promittit se in pro-
ximo conuentu imperij causam co-
gniturum esse. Henricus siue ad-
monitus de Caesaris erga se indigna-
tione, siue superbia, siue alia de causa
adductus, non enim excuso factum,
uocatus ab Imperatore primo Vuor-
matiam, deinde Magdeburgum, pos-
tea Goslariam, non uenit.

Quare Imperator habito princi-
pum consilio, qui omnes iam dudum
potentiae ipsius inuidebant acerbis-
simeque ipsum oderant, Henricum
Leonem proscribit, & titulum Ele-
ctoris & Ducis Saxoniae confert
Bernhardo Principi in Anhalt, Al-
berti Vrsi filio, a quo etiam sequen-
tes superioris ac inferioris Saxoniae
Duces & Principes Anhaltini, qui

B iij nunc

nunc uiuunt, orti sunt. Ducatum
Bauariæ donat Ottoni de Vuitels-
bach & Comiti in Schiern, à quo
Duces Bauariæ & Palatini, nostro
tempore uiuentes descenderunt.
Tum uerò uelut agmine facto om-
nes uicini Episcopi & Principes,
quibus terrori antea Henrici poten-
tia fuerat, communi impetu in eum
irruunt. Sed antequam Imperator
ipse in Saxoniam descenderet, ali-
quot prælijs hostiles copias fudit,
Ludouicum Thuringum & fratrem
ipsius Hermannum comitem Pala-
tinum Rheni cepit. Expugnauit
Halberstadium & Episcopum Vl-
ricum ui captum in Ertenborg cus-
todiri iussit. Postea Imperatore uen-
iente Henricus Brunswuigo in ul-
teriora Saxoniae loca cædit, Barde-
uicum petens, quod ipsi accedenti
portas clausit. Quare ulterius pro-
ficiscens Lubecam, quæ tunc ipsi
subdita erat, & uicinas arces præsi-
dijs impositis munit. Ipse in urbe
Staden

Staden euentum belli expectat.

Erat annus Christi 1182, cum Fris-
dericus Imperator Lubecam obse-
dit, quæ quadraginta annis antè in
eo loco primum ædificata fuerat.
Durante aliquamdiu obsidione euo-
cauit in castra Vualdemarum Da-
niæ Regem ostensa illi spe non so-
lum amicitia, uerum etiam coniugij
inter utriusq; liberos contrahendi.
Eò autem spectabat hæc simulata
Imperatoris humanitas, ut Regem
ab Henrici Leonis societate auoca-
ret. Eodem consilio etiam ad se ac-
cessitos Pomeranorum Principes
Casimirum & Bugslauum Duces
creauit.

Interea ciues Lubecenses per
Henricum Episcopum (cuius pietas,
eruditio & facundia etiam hostis
Imp. beneuolentiam ipsi concilia-
bat,) apud Imperatorem de pace ar-
gunt. Is non solum clementer eos
recepit, sed etiam insignibus priuiz

B iij legijs

legijs donauit, de quibus literæ ad-
huc extant, Et duplices aquilas in-
signia contulit urbi,

Et Grato ciues auxit honore nouos.

Dux Henricus stadij se contine-
bat, ac impetrata ab Imperatore fide
publica in castra uenit, proluxa ora-
tione se purgans, & sua erga Impe-
ratorem merita commemorans, ac
offensionis ueniam petēs. Imperator
uerbis mitior quamre, ut postea de-
clarauit, respondet tunc se solum sine
communi Ordinum Imperij Conci-
lio nihil posse in re tanta statuere.
Sed tum bene eum sperare iubens,
iudicis statibus Imperij, ut Erphor-
diæ conueniant, ubi cum ad pedes
Imp. se Dux abijcisset, & Imp. osten-
deret se omnem offensionem ipsi
condonare, tamen tanta fuit plero-
rumq; Principum & Episcoporum
erga Henricum acerbitas odij, ut tri-
ennium coactus sit extra fines Im-
perij Romani in Anglia exulare.

εὐπικ

Ἐνρίκῳ αὐτῷ ὁ μεγάλῳ ἡμῶν ἀνὴρ ὅστις
τις οὐ ζήλω πολιτῶν καὶ τύχαις ἐπιβλέπων
εἰς τὸσον κλύδωνα δεινῆς συμφορᾶς ἐλήλυθε
θην.

Relictus est tamen ipsi in medijs
tullio Saxoniae Ducatus Brunsvi-
censis & Luneburgensis. in quo post
triennium ex Anglia rediens, alij
quamdiu quietus uixit. Sed cum
Fridericus Imp. in Asiam profectus
esset, rursus Holfatiam occupauit,
& insigni exemplo contumeliam ab
urbe Bardeuico acceptam ultus
est. Nam obsessam aliquamdiu &
die Simonis & Iudae Anno 1189. ex-
pugnata urbem antiquam & in his
sce locis florentissimam diruit ac so-
lo æquauit. Tandem etiam Impera-
tori Henrico VI. filij sui Henrici,
quem ipsi in Apuliam proficiscenti
comitem adiunxerat, uirtute recon-
ciliatus est.

Ac eodem anno 1195. Bruns-
uigæ ex hac uita decessit princeps
pius

pius, Ecclesiae Christi propagator ac
Nutricius, magnanimus, fortis, ius-
tus, potens, qui initio multos annos,
Imperij Romani praecipuum praesidium
ac ornamentum fuit, postea in exilium
pulsus illustre exemplum inconstan-
tiae & fragilitatis rerum humanarum
Præbuit. Quo commonefacti
omnes se ad Timorem Dei ac modes-
tiam & toto pectore fugiendam in-
solentiam ac superbiam, quæ rerum
secundarum ferè semper comes est,
exuscitare debent. Oremus autem
filium Dei, ut nos gubernet, & deinceps
quoque bonos, ac salutare Prin-
cipes & Ecclesiae nutritios no-
stræ patriæ tribuat.

D I X I.

F I N I S.


Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

W. T. n. 3037

X2206832

W. T.





no. 85.

VII.

ORATIO

NTINENS HISTO
M HENRICI LEONIS
ducis Saxoniae & Bavariae,
Recitata Rostochij

A
VIDE CHYTRAEO



VITTEBERGAE
VDEBATIOHANNES
CRATO.
ANNO M. D. LV.

